

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Eucharistia s
cum fonte primo

Hec namque singulariter uictima ab eterno interitu animas soluit
que illam nobis mortem unigeniti reparat,
qui licet surgens a mortuis iam non moritur
et mors illi ultra non dominabitur,
tamen in se ipso immortaliter atque incorruptibiliter uiuens
pro nobis iterum in hoc misterio sacre oblationis immolatur.
Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in salutem populi partitur;
eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.
Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis illud sacrificium
quod per absolucionem nostram unigeniti filii passionem semper imitatur.

Gregorius in dyalogo libro IIII.

Haec namque singulariter uictima ab aeterno interitu animam saluat,
quae illam nobis mortem Vnigeniti per mysterium reparat,
qui licet *surgens a mortuis iam non moritur,*
et mors ei *ultra non dominabitur,*
tamen in se ipso immortaliter atque incorruptibiliter uiuens,
pro nobis iterum in hoc misterio sacrae oblationis immolatur.
Eius quippe ibi corpus sumitur, eius caro in populi salutem partitur,
eius sanguis non iam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.
Hinc ergo pensemus quale sit pro nobis hoc sacrificium,
quod pro *absolucione nostra passionem Vnigeniti Filii* semper imitatur.

Gregorius Magnus, *Dialogorum libri IV.*, 4.60.2-3
(SC 265, A. de Vogüé ed., pp.200/2, ll.9-20).